TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
ERYSIPELATE.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

ERYSIPELATE.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
DE
ERYSIPELATE:

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS *RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

AUGUSTUS FREDERICUS GOODRIDGE,

ANGLUS;

CHIRURGUS.

"Scribimus indocti ————————."
Hor. Epist. Lib. II.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.

JOANNI CAIRD,

ARMIGERO,

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. SOCIO,

&c. &c.

OB MULTA BENEFICIA SIBI COLLATA,

HAS PAGINAS

DEDICAT

DISCIPULUS.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

ERYSIPELATE.

AUCTORE AUGUSTO FREDERICO GOODRIDGE.

HISTORIA MORBI.

De quo hisce paginis tractatur morbus a Culleno in classe Pyrexiarum et ordine exanthematum locatur, hisque verbis, " Synocha " duorum vel trium dierum plerumque cum " somnolentia saepe cum delirio," definitur. Imprimis, apud multos an recte inter exanthemata haec affectio locum tenere debeat bene quidem disputatum fuit; ex hoc vero parum momenti versari videtur, una sola objectio, prout judicare possum, quae positioni a celeberrimo Doctore allatae sese objicit, est exanthematum definitio: " Morbi contagiosi " semel tantum in decursu vitae aliquem af-

" ficientes; cum febre incipientes; definito " tempore apparent phlogoses, saepe plures, " per cutem sparsae." Primùm, quòd ad Erysipelatis naturam contagiosam non adhuc certa restat opinio; " semel tantum, &c." hoc nequaquam cum morbo connectitur, nam ubi semel apparuit, ibi maximè ad recurrendum pronus fit; " definito tempore," eruptio erysipelatosa non certo tempore apparet aut evanescit, sed nunc die tertio nunc quinto primum in lucem prodit, saepiùs vero certissimè exanthematis secum proprietates junctas habet, atque, omnibus benè perspectis, nullum alium situm hoc meliorem tenere potest, quem hodiè apud auctorem suprà memoratum occupat. Nullis Erysipelas symptomata comitantia spectantibus natura inflammatoria (sicut mea quidèm opinione constat) neganda est; adsunt omnia quae hodie agnoscuntur et etiam a veteribus inflammationem statuere putabantur, rubor, dolor, tumor, et calor, pulsus plerumque validus et durus, nihil amplius deest; haec omnia coeuntia usque a medicinae incunabulis statum quem inflammatum nomina-

mus, formaverunt. Morbus, ut ex derivatione invenimus, nempe ερυω traho et πελας propè, affectionis diffusae nomen sibi acquisivit; cum partes externas subjectas possidet, a nobis cutis malum ardens esse dicitur; cum internas, in membrana mucosa situm tenere solet. Hicce morbus foeminas, et irritabiles et sanguinei temperamenti homines potiusquam robustos afficere putatur; hoc vero parum constat; nam saepissime omnes et sanguineos et melancholicos sub jugo tenet; me judice, et hoc et illud temperamentum, dummodo adsint causae excitantes, aequè aggressionibus obnoxia sunt; secundum multorum opiniones epidemicus valere existimatur, et quidèm ex observationibus nonnullis rectè institutis hoc in memoriâ retentu dignum videtur; sunt, qui sese ex altero ad alterum oppidum per viatores propagatum morbum indagare potuisse, dicunt, etiamque per totas civitates grassatus fuisse eodem tempore notatus fuit; in nosocomiis, aëre depravato, quasi contagiosum quam saepissime videmus; quidam haereditarium a patre in liberos praeteri-

entem sese observâsse volunt; et denique ex auctorum scriptis nonnunquàm multos periodicè tentare discimus, donec, pluribus agressionibus bis terve uno anno repetitis, aeger gradatim ad eas sustinendas minus aptus factus, praecipuè labentibus annis debilis et senex ex numero viventium auferatur: "Hominem "novi aliundè sanum, qui bis in anno versus "utriusque aequinoctii tempora Erysipelate "tentatur. Primus et alter Erysipelatis hujus "periodici insultus, cum febre violenta praevia, "dein tumore cutis, coloreque ejus sublivido "adoriebatur, gravis aderat morbus, gravibus "stipatus accidentibus, ad quatuordecem us- "que diem protensus, dein per quemlibet an- "num sine febre praevia, sed cum horripila- "tione quae sibi anxietatem adsciscit comitem, "rubore levi, nunc in hanc nunc in illam "partem ad diem septimam protenditur."* Ut antea dixi, temperamentum aetasve nulla actione Erysipelatosa immunis esse potest corpora verò morbis aliisve causis debilitata

* Lorry de Morbis Cutaneis.

magis exoptat, hocque, prout judicare possumus, sine causâ manifestâ accidere solet. Erysipelas saepè alias affectiones supervenit; saepiùs sponte exoritur, cùm apud medicos idiopathicum vocari solet; cum calor inter causas excitantes numerari potest, hoc malum potius calidis quam frigidis regionibus sese ostendere invenitur, et senectuti magis quam vitam ineuntibus proprium est, quamvis huc et illuc exceptiones oculis occurrunt. His de morbi historia dictis, ad symptomata enumeranda citissimè pergam. Imprimis, igitur, partibus extremis, crure seu brachio, morbo laborantibus, praegressis pyrexiâ, appetitûs defectu, languore, et sensu ponderis capiti relato, quae maximè, sese ostendente rubore, subsidunt, cum calore, scabritie, dolore, cutisque colore rubeo, digito allato pallescente, statim verò remoto ad colorem pristinum redeunte apparet; si sit levis insultus, haec signa tantùm per paucos dies manent, partis affectae superficies flavescit, cutis decorticatur, nullum infaustum ultra superstat, si verò gravissimus urgeat morbus, cum pyrexiâ magnâ adveniunt

capitis dorsique dolores, adest nonnunquàm nausea vel etiam vomitus, sitisque unà cum inquietudine, comate, delirio, aliisque cerebri perturbati signis, pulsus frequens et durus, corporis jactatio, summa solicitudo, et ad somnum proclivitas; paulo post, scilicet biduo vel triduo, acriter exardet quaedam macula, exigua quidem primo, brevi vero sparsa ad alias partes extenditur; dolor molestus, pruriens et urens, nullâ comitante pulsatione, magis noctu aegrum premit, et maximè prima ex iis molestiis de quibus conqueritur, calor partis valdè augetur, tumefactio indies increscit, faciemque splendentem ostendit; color roseus saepè flavescens evadit; haec omnia supervenientia morbum confirmatum reddunt; mox, die quarto vel quinto, vesiculae humore limpido impletae per partes videntur, qui, progrediente malo ruptis vesiculis superficiem partium vicinarum acriter erodit, et hoc modo multum angoris aegro imponitur. Ita se rebus habentibus parùm aut nihil mutationis brevi agnoscitur; si morbus feliciter finiturus sit, color roseus cito flaventior evadit, om-

nia symptomata remittuntur, cuticula crassescit, et die octavo decimove in squamulas furfuraceas abit, parte nulla alia oppressione subjecta ad finem faustè perducitur morbus, et paulo post ad sanitatem pristinam aegrotans redit. Nulli verò fines Erysipelati proponendi sunt, nùnc tantùm in dies duos vel tres perdurat, nùnc verò ad spatium trium vel quatuor hebdomadarum protenditur. Omnium longè periculosissima hujus morbi species faciem partesque capiti propinquas affectas prehendit, et hoc modo homo, utcunque paulo antea salute gaudens, et sese solitis occupationibus versare pergens, subito ex vita arripitur. Species nuper dicta aut symptomatica aut idiopathica occurrere potest ; adveniens hasce molestias secum fert, horrorem, nauseam, faciei pallorem, aliaque signa febris intermittentis aditum saepiùs comitantia, brevi vero oris expressio ex abrupto mutationem subit, exoritur tumor elasticus, glaber, genas partesque post aures invadens, sensim naso affecto per totum caput, aliquando etiam ad cervicem usque dispergitur, adsunt pyrexia, lucis intolerantia,

pulsus maximè frequens, validus, et durus; progrediente morbo palpebrae adeò tumefactae videntur, ut partim ex hoc et partim ex secretione viscidâ e glandulis Meibomianis productâ, visus penitus per dies obstructus maneat; ut antea, vesiculae sese porrigunt et pari ratione ad finem perducunt; symptomatibus ita restantibus, mutationem seu crisin expectare licet; si signa febrilia adhuc multum perstent, eruptio saepissimè sese extendere pergit, et ingravescente irritatione, hospites quidem infausti, coma deliriumque typhodes apparere incipiunt; nunc plurimum periculi cum aegrotantis statu connectitur, et horis viginti quatuor praeteritis absente omni remissionis spe brevi mortuum nos esse visuros expectandum est. Quamvis in hisce partibus, de quibus pauca suprà memoravi Erysipelas situm suum plerumquè habet, tamen nonnunquàm in aliis inveniri solet, hisque muneribus gravissimis fungentibus, veluti mulierum mammis, quas saepe invadunt rubor, dolor, et tumor, quibus semper multum moeroris infelici praebetur, et aliquandò, inflammatione per-

stante, advenit suppuratio quae per totam mammae fabricam sese expandit, et officio fungendo inhabilem facit. Cum morbus hìc apparere notatur, maximè sub formâ symptomaticâ occurrit, atque originem ex diversis instrumentis acutis casu quovis partis formam perdentibus ducit, quae non citò ad valetudinem vertens, et forsitan malo corporis habitu praeditâ foeminâ, Erysipelate tentatur. Erysipelas nonnunquàm suppuratione et gangraenâ desinit, saepiùs verò, propriis remediis adhibitis, ad sanitatem per resolutionem vertitur. Partes subindè gangraenâ omninò perduntur quod fere accidit, cum, urinâ extravasatâ, scroti tegumenta irritatione materiae alienae praesentiâ exoriente, hanc affectionem induunt, quâ ingravescente tandèm superficies abraditur, et testes in conspectum veniunt. Quod ab auctoribus "Erysipelas infantum" vocatur, demum memorari restat. Haud raró paulo post partum macula rubra circa umbilicum incipiens per totum abdomen pandit, et etiam exstant exempla ubi inflammatio ad viscera tendens vitam citissime destruxit: saepè infantes

primò in lucem prodeuntes cujusdam partis ruborem praeter solitum exhibere notantur, qui haud recedens partes genitales brevi attigit, quae in gangraenam abire valdè propensae fiunt.*

SPECIES MORBI.

In nonnullorum scriptis Erysipelas in multas species dividi solet, me vero judice, tres tantùm optimè comprehendit, primò biliosam, secundo phlegmonodem, tertio symptomaticam ; reliquae, quales oedematosa, erratica, gangraenosa, &c. vix species dici dignae apparent, nam saepissimè ex quibusdam causis, sive ex aegri constitutione, seu ex aliâ quâlibet re origines ducentibus, morbi progressus ita mutatur, ut symptomata in conspectum veniant, quae affectionem propriam speciem induere efficiunt. Species biliosa ex omni causâ, quae aut ventriculi functionem aut aliorum visce-

* Vide Underwood on the Diseases of Children.

rum chylopoieticorum debilitat, exoriri potest, adveniens plurima signorum dyspepsiae comitum secum affert, qualia, linguam foedam crustam subflavam ostendentem, in ore sensum amarum, nauseam, et nonnunquam ad vomitum proclivitatem, eructationes et vertigines; alvus nunc adstricta, nunc dejectiones justo frequentiores et aspectum insolitum ostendentes oculis objiciuntur. Erysipelas phlegmonodes ex diathesi phlogistica exordia praecipue accipit; robusti, juniores, et homines carnibus stimulantibus utentes, huic speciei, causis excitantibus subjecti, valdè obnoxii sunt; quae in hac, magis quam illa (specie biliosa,) in conspectum veniunt secum phlegmonis signa afferre solent, ex quo inter hanc et illam supra dictam morbi speciem a nobis facilè dignoscitur. Phlegmonodeâ tumor elevatior et adest quodammodo pulsatio comitans, pulsus plenus et durus, calor magnus, sitis vehemens synocham indicantia. Symptomatica ab his duabus magnopere discrepat, haec ulcera, vulnera, laesionesque cujus vis generis supervenire valdè adaptata; capitis injuriae, praesertim pericranii sectiones, infaus-

tis his signis quam citissimè nonnunquam tentantur. Quum Erysipelas symptomaticum primo apparere incipit, ulceris margines gradatim rubescunt, et caloris magni parte sentitur sensus; si non statim ad remedia, quae ad progressum coercendum valent, confugiatur, facta irritatione brevi finem vivendi facit aegrotans. Maxima inter hanc et alias Erysipelatis species agnoscitur differentia, ad febris accessionem spectans, his totius systematis affectio eruptionem et signa localia praegreditur, cum illarubor aliaque febrem antecedunt. Quondam apud auctores de febris typo multum disputationis adfuit, alii typhum alii synocham voluerunt, hâc verò de re hodiè ferè quescit argumentum, nam e temperamento, corporis habitu, et aegri aetate, multum pendet, nunc typhodem nunc inflammatoriam sequitur, et haud raro speciei ejus febris, quam biliosam nominare solemus, formam induit.

SEDES MORBI.

Erysipelas sedem suam in corporis superficie plerumque habet, nunc in reti mucoso, nunc in cute verâ oritur, ex his vero in telam cellulosam serpere potest. "The chief seat of "Erysipelas and the Erythema is the outer "surface of the true skin and corpus muco-"sum, but the former often spreads through "the skin, and affects the cellular mem-"brane *." Hoc morbo minus extravasationis quam phlegmone seu oedemate adest, et paululùm aut etiam nihil lymphae coagulabilis in partis interstitiis effunditur, adhaesionibus igitur rarò formatis quibus morbi progressus, si forsitan in suppurationem abierit, prohiberi potest, pus nullis terminis inclusum longè latèque patet, et manu applicata sensum quemdam proprium praebet. "In a genuine case

* Treatise on Febrile Diseases, by A. P. Wilson Philip, M. D.

"of Erysipelas, healthy pus is very rarely "found inclosed in a circumscribed cavity, "and when there is any secretion of purulent "matter, a feel is communicated on compress-"ing the part, almost like that which a sponge "would give; in such cases, the cellular mem-"brane has suffered considerably, and the part "is very frequently attacked by gangrene *."

DE MORBI CAUSIS.

Quicquid corpus ullo modo praeter solitum stimulat aut debilitat, quicquid concoctioni ciborum organa inservientia, praesertim hepatica, non recte officio fungi facit, hujus morbi causa est. Haereditas, ut ex nonnullorum observationibus constat, inter causas praedisponentes locum servare debet, et quidem, exempla proferri possunt, quae ad hanc sententiam firmandam valent. Nonnunquàm, ut an-

* Dictionary of Practical Surgery, by Samuel Cooper.

tea in historia dixi, morbum a patre in filium praeterientem videmus; hoc in memoria servari dignum apparet; nam cum alma medicinae manus aegri levandi officio fungi saepissime jubetur, morborum causas, etiam minutissima quae sub nomine causarum veniunt, recte intelligere ad eos depellendos curandosque haud parum conducit. Qui vitam minime abstinentem degunt, et sese epulis luxuriisque gaudere sinunt, actioni Erysipelatosae proclives objiciuntur; ab iis praesertim cavendum est, a quibus saepius ad potationes vini liquorumve alcohol continentium liberiores confugitur. Temperamentum, ut antea memoravi a nonnullis inter causas praedisponentes collocari solet; sanguineo-cholericum magis quam alia ad hanc affectionem induendam opportunum esse dicunt; mulieribus sub tempus quo catamenia fluere cessant, et etiam gravidis proclivitas impendet. Omnium vero notatu dignissima causa nobis quotidie obrepit, ubi semel morbus occurrit ibi maximè ex debilitate quam parti inducit ad recurrendum pronus videtur.

Causae Excitantes.—Imprimis animi affectus, quales irae impetus, moestitia vehemens, gaudium ex abrupto excitatum, venenorum metallicorum, &c. actio, caloris et frigoris vicissitudines, vulnera membranis et tendinibus illata, evacuationes solitae suppressae, cibus insalubris, caput nudum labore calefactum soli meridiano subjectum, ebrietas, &c. inter causas excitantes situm habere possunt

Causa Proxima.—De nihilo magis quam de hac re inter medicos disputatum fuit; plurimi sese quicquid utilis invicem contulisse putant; omnes verò cogitationes parum adhuc digni in hâc illustrandâ conduxere. Multi ingenio praediti de hypothesibus gloriati sunt, veruntamen quod ad causam veram nobis jam contentis in statu praesenti restandum est.

DIAGNOSIS.

Quatuor his signis, calore, tumore, rubore, et dolore, inflammatio semper cognoscitur, quae certe omnia quodammodo ad hunc morbum pertinent, quo pacto primo aspectu inter phlegmonem et Erysipelas parùm differentiae interesse videtur, saepiùs vero haud obscura diagnosis est; in Erysipelate partis tumor minus elevatus et nunquàm margine circumscripto circumdatur; in pluribus morbi exemplis cutis quasi igne adusta apparet, rubor quamvis floridus pressu admoto evanescit, et remoto citò redit. Dolor, quem phlegmone aeger sentit, acutus et pulsans, in altero pruriens et urens, pars tensione immunis est et quasi oedemate seu emphysemate affecta videtur, progrediente phlegmone tumor in apicem elevatus secum fluctuationem fert, brevi cuticula abraditur et pus in conspectum venit; in Erysipelate materia purulenta puris boni proprietates nunquàm ostendit, neque cavo cir-

cumscripto continetur. Multa de differentia inter Erysipelas et Erythema dicta fuere; quidam ad hujus sedem alii ad vesiculas illuc porrigentes vertunt, nonnulli de febre loquuntur; me judice, parum momenti, nisi quantum ad nomen ipsum spectat, hic implicatur; forsitan ubicunque eruptio erythematosa apparet, ibi etiam causâ excitante diutius applicatâ Erysipelas sese ostendere potest. "Erysipelas "bears the same resemblance to Erythema, "that phlegmon does to pustule. The only "difference is, that in the phlegmasia the in-"flammation is generally of greater extent, its "symptoms run higher, and is generally at-"tended with fever *." Scarlatinae primo ut in hoc morbo, quodammodo sese manifestat eruptio, faucium, tonsillarumque affectio cum aliis signis propriis, atque rubor per totum corpus sese extendens, diagnosin statuere valent. Una species impetiginis, quae ex similitudine inter duos morbos notatâ, "Erysipelatodes"

---

* Treatise on Febrile Diseases, by A. P. Wilson Philip, M. D.

vocatur, ab affectione ipsa propriis modis distinguenda est *.

PROGNOSIS.

Erysipelas cum leniter partes subjectas habet, parum periculi secum fert. Ut saepe in partibus extremis occurrit, minima comitante febre, vix quid molestiae aegro adducitur, diaphoresis nonnunqùam spontanea adoriens malum omnino depellit; ex his rebus, nempe corporis habitu, spatio eruptione occupato, aegri aetate, parte corporis affectâ, morbi vehementiâ, prognosin pendere oportet. Periculum maximè a translatione metuendum est; si eruptio integumenta abdominis situm habeat, et introrsum serpat, eventum infelicem formidare nostrum est; facie affecta cerebrum membranaeque haud raro inflammatione serpente male se habent; ita rebus sese ha-

* Vide "A Practical Synopsis of Cutaneous Diseases."

bentibus spes quidem dubia, et saepiùs de aegro actum est: in plurimis exemplis post mortem sectione cadaveris vasorum cerebri sanguinem vehentium auctae actionis signa reperiuntur. Cum eruptionis color ex rubeo in lividum convertitur signum haud faustum notandum est, cum infeliciter suppuratione finitur morbus profundè tendente, irritatio ulcera jamdudum curata petit, et iterum ad grassandum ciet; caeteris paribus, quo plus eruptionis eo magis periculi. Si color roseus pressurâ non evadat, si dolores profundiores sentiantur, si tumor latus et densus, si etiam superveniant coma et delirium, si symptomata febrilia, eruptione evidente facta, ingravescere pergant prognosin infaustam statuere cogimur. Erysipelas symptomaticum membra fracta aliasve laesiones tentans secum fert mala, quibus absentibus aeger brevi forsitan ad sanitatem rediiset, nùnc verò alio et magno incommodo oppressa constitutio adeo infirma fit, ut per longum tempus valetudinis expers infelix manere damnatur, siquidem mors non prius evenerit.

DE CURATIONE.

NONNULLI sunt morbi qui inter medicos medendi rationes singulis aetatibus disputatas habuerunt, et inter eos, idem de quo pauca disceptavi numerari potest. Multi diversis temporibus methodos sanandi diversas proposuerunt, haeque tantum brevi floruerunt; advenientibus verò subito aliis jactatis remediis, priora silentio praeteriêre. Nonnullae tamen curandi indicationes usque a veteribus etiam in nostra tempora per multa saecula salvae perlapsae fuerunt, CELSUS ipse, aegroti viribus integris, venaesectione semper usus est, ut ex his verbis discimus. "Id autem, quod "ερυσιπελας vocari dixi, non solum vulneri "supervenire, sed sine hoc quoque oriri con-"suevit; atque interdum periculum majus "affert; utique, si circa cervices aut caput "constitit. Oportet, si vires patiuntur, san-"guinem mittere: dein imponere simul re-"primentia et refrigerantia.*" Contrà a mul-

* CELSUS de Medicina, pag. 195.

tis, in medicinae fastis fere partes primas tenentibus nunquàm, nisi plethorâ manifestâ, ad lanceam decursum est, cùm alii quidem satis laudati auctores CELSI opinionem sequentes eodem modo malum depellere soliti sunt, et semper, nisi quum affectio levissima fuit, sanguinem detrahere jusserunt. Cùm hujus morbi diversae species a se mutuo admodum discrepant, pauca de uniuscujusque ratione medendi hodie exceptâ, vicissim memorare volo: primùm de phlegmonodea. Plurimi nunc in eandem sententiam eunt, hanc speciem regimine antiphlogistico tractari opportunum esse, et his viribus freti sanguinis detractionem praecipiunt; in hoc remedio utendo semper ad aegri temperamentum, corporis habitum, aetatem, morbique severitatem, respiciendum est: in Erysipelate minus frequenter quam in aliis morbis inflammatione comitatis lancea uti necessarium videtur; statu vero pulsûs aliisque supra dictis dirigi debemus: caeteris paribus aeger melius rure, et aere salubri, quam urbibus sanguinis missionem sustinet. Si adsit plethora magna venaesectio bis terve, prout

signa sese habeant, repetenda est; si capiti partes vicinae afficiantur, abradatur capillitium, et lintea aquâ frigida madefacta applicentur; his peractis, nihil magis ad inflammationem minuendam parvis Tart. Antimon. et Potass. dosibus valet; nam nausea, quam hoc modo inducere possumus, totum corpus quasi subjectum tenet, et ex ventriculi statu cordis arteriarumque vis admodum brevi imminuta discedit; post primam vel secundam venaesectionem ea, quae leniter alvum movent, exhibeamus, qualia Ol. Ricin., Infus. Cass. Senn. etc.; quae dejectiones vehementes excitant, hoc malo evitanda sunt, quia non solum corpus debilitant, quo casu si febris typhodes fieret, ager haud sine summo vitae periculo maneret, sed etiam, ut nonnulli putant ad metastisin conducunt. Diaphoretica etiam ad curationem haùd parùm afferunt, praecipua, Pulv. Antimonial. aut Carbon. Ammoniae adeo a Doctore PEART, * laudata administrentur. Medicorum alter ab altero de hirudinibus parti applicandis multum discrepat, nonnulli morsus

* Vide PEART on Erysipelas and Measles.

in gangraenam abire valdè propensos esse volunt, plurimùm verò auxilii ex hoc modo sanguinem topico detrahendi saepissìme praebetur; quod ad emplastra vesicatoria attinet, parum utilitatis et nonnunquam haud parum injuriae secum gerunt, nisi ubi coma et delirium contingant, quum inter scapulas seu nuchae imponantur. Pauca de remediis topicis dicere volo, sed adèo etiam hodie inter medicos disputata opinio permanet, ut certissimè haud parum in animo restat dubii, quae meliora et quae contrarias tenere debent; et cum multi, etiam peritissimi et in arte sanandi laude dignissimi sese alios alii opinioni, alios contrariae, favere confessi sunt, equidèm, medicinae studium ineunti praesertim, quae praeter alia sibi medici attentionem vindicent, statuere haud facile videtur. Imprimis applicationes oleosae jamdudum laudatae nunc fere omnino in desuetudinem abierunt, et de iis parum aut nihil mentionis postulatur. De pulveribus, multi hoc modo plurimùm boni aegroto afferri putant, dum alii quasi noxios et ad crustas injuriosas formandas aptos condemnunt; ex

sententiis vulgo retentis, pulveres farinarios in hac affectione quasi remedium speciale aestimari credo, cum solutiones quaedam (acet. plumb. etc.) apud nonnullos medicinâ peritos laudibus elatae, ab aliis quasi mortem ipsam subito allaturae reprehensae sunt; certissime, prout judicare possum, ambo haecce remedia, farina nempe et solutio acet. plumb. atque etiam his similia, vicissim solatium tribuisse visa sunt. Erysipelas biliosum magis ex intestinorum statu pendere videtur; remedia igitur quae dyspepsiam curare solent, hic etiam utilissima experientia probavit; in hâc specie raro sanguinis, detractione opus est, hepatis verò functiones propriis remediis emendare primo indicatur: Emeticus ex solutione Tart. Antimon. more DESAULTI exhibeatur, tunc purgantia bis terve repetita ad alvi plenam dejectionem capiantur; aegro convalescente, nam saepissimè morbus, hac curandi ratione continuatâ discedit, ad ventriculi statum maximè respiciendum est, cibo concoctu facili uti debet, et a diaeta luxuriosâ potissimùm abstinendum est. Tertiae Erysipelatis speciei curatio vix accu-

rate ad medicum, maximè verò ad chirurgum spectat, attamen pauca quam brevissimè hac de re dicere in animo est. Si febris symptomatica plurimùm polleat, missio sanguinis necessaria esse videtur ; etiamque hirudines partibus ulceri propinquis applicentur ; pure nonnunquam magna quantitate sub cute collecto, vulnus sectione osse tenus dilatandum est. Cataplasmata emollientia tepida imponenda, et saepius in die renovanda esse justum apparet. Inquietudine et irritatione ex hoc orientibus aeger saepè somno expers diù remanet, quod, ne in sanitatem redeat, multum impedit, haustus igitur anodynus pro re nata adhibeatur, hicque ad dolorem minuendum et somnum inducendum plurimùm valens eventum felicem properare potest. In Erysipelate autem idiopathico opii usus summa cum observatione numero remediorum auferendus est, nam, ubicunque adsit ad quaedam organa determinatio, ad cerebrum nempè, quod saepe fit, magis injuriae adferre, quam ad morbum levandum valere potest.

FINIS.